

est coram DEO se facere & sibi videtur & aliis videri vult; protestatur ergo JACOBVS, & negat, eum facere iustitiam Dei; simul vero b) subintelligendum relinquit, quod faciat quævis contraria, multa, quæ per se voluntati div. e diametro adversantur, &, quod in se bonum est, non tamen bene, & eo, quo par est, modo. Atque hæc jam dicta sunt de *Propositione illa trimembri C. I.*, 19, 20. cuius ἐξεργασία mox sequitur v. 21 — fin. & C. II. III. IV.

### §. III.

#### Cap. III, v. I.

Μή πολλοὶ διδάσκαλοι γίνεσθε, ἀδελφοί μα, οὐδότες,  
ὅτι μεῖζον κρῖμα ληψόμεθα.

Αδελφοί μα) Hæc compellatio etiam h. l. index est ineuntis novæ sectionis in tractatione thematis Cap. I, 19. propositi; Dixerat JACOBVS 1) quemvis Christianum debere celerem esse ad audiendum, ita quidem, ut *auditioni etiam facta jungat*, verbo auditio consentanea, atque hoc primum membrum habetenus pertractaverat inde a C. I, 21. usque ad finem

B 3

C. II.

C. II. Dixerat 2) quemvis debere tardum esse ad lo-  
quendum, idque jam tractare adgreditur C. III, 1—12.  
subjuncturus dein 3tii) membra tractationem, quod  
quisque debeat tardus esse ad iram, C. III, 13—fin.  
& C. IV. toto. Μη πολλοι διδασκαλοι γινεσθε 1) μη γινεσθε,  
ne sitis, vel fatis, ex sententia plurimorum Intt. hic  
accipiendum est secundum Canonem istum in GLASS-  
SII Ph. S. pag. 766. saepe fieri dicitur, quod fieri ten-  
tatur, aut queritur, ut sensus sit: ne affectetis esse  
vel fieri Doctores, ne ambiatis docendi munus;  
potest vero etiam presso accipi, hoc sensu: ne, ob-  
latum etiam, temere suscipiatis, quod postremum  
forte BENELIVS maxime respexit, μη γινεσθε inter-  
pretans: ne sitis ultro. LVTHERVIS optime vertit:  
Unterwende sich nicht jedermann, Lehrer zu seyn.  
Frenum sic injicit Apostolus etiam eorum nimiae  
cupiditati alios docendi, qui ceteroquin ratione pro-  
fessuum suorum in doctrina Christiana, aliorumque  
charismatum, non omnino inidonei essent, quanto  
magis illorum, qui prorsus sunt inidonei, pudendo-  
que & sacrilego ausu munus docendi ambiant, vel  
publicum, vel privatum? Non censendus est Jaco-  
bus

bus heic reprimere ordinatam alios docendi cupiditatem, quam Paulus adprobat i Tim. III, 1. 1 Cor. XVI, 15. & in christianis requirit Hebr. V, 12. Col. III, 16. conf. Num. XI, 29. 2) vocem πολλοι alii referunt ad διδασκαλοι, alii ad γνωστε. A) ex illorum sententia vel a) epitheton πολλοι designat multiplicitatem doctrinæ, indeque etiam Doctorum, ut sensus sit: cavete, ne plures sint Magistri, i. e. tales Doctores, qui adferant doctrinas ab unici Magistri, Christi, doctrina dissentientes, vel: nolite diversa docere, ne sitis sectarum auctores; ita AVGUSTI-  
NVS, BEDA & SALMERO. At valde obscure sic locutus esset Apostolus, nec scopo ejus & contextui hæc interpretatio consentanea est. Vel b) πολλοι διδασκαλοι idem est, ac magni seu eximii Doctores, ut epitheton hoc non tam multitudinem Doctorum notet, quam magnitudinem, & sensus sit: cavete, ne, cum ipsi adhuc multa sitis docendi, facile usurpetis vobis partes, alios severe monendi atque redarguendi, quasi essetis multi i. e. magni Doctores & Magistri; ita, post HEINSIVM, WOLZOGENIVS, qui & provocat ad loca, ubi πολυς magnum potius quam

++

m.

quam *multum* denotet; Sed contortum hoc esse, quis non videt? id quod etiam dicendum de interpretatione B. BAV MGARTENII in *Expos. huj. Ep. verna.* p. 133. ubi distinctionem græcam πολλοι did. explicandam putat e latina illa, *multum esse in aliqua re*, ut sensus sit: ne multi sitis in docendis, h. e. judicandis aliis; Sine exemplo est hæc significatio voc. πολυς Reætius omnino πολλοι refertur B) ad γνωστε, ut sensus sit: ne quæso multi ex vobis fiant seu fieri adfæctent Doctores; Haud negat Apostolus, Ecclesiam Christi doctribus & magistris opus habere, sed non vult eam laborare multitudine Doctorum; neque repellit eos, qui sancta quadam ὁρεξει & ἐπιθυμia, gravitate rei antea probe perpensa, munus docendi appetunt, vid. 1 Tim. III, 1. sed indiscretam modo adfæctatamque docendi cupiditatem, seu pruritum potius, qui multorum animos occupaverat, severè reprimit; *Judæos* maxime hoc pruritu laborasse, patet jam ex monito Christi Matth. XXIII, 7. ss. & quantum cathedra delectati fuerint etiam isti ex Judæis, qui Christo nomen dederant, discimus ex Rom. II, 19. ss. 1 Tim. I, 7. imo quamdiu postea

ma-

malum hoc Ecclesiam Christi vexaverit, adparet ex CLEMENTIS ROM. Ep. ad Cor. cui scribendæ occasionem dederat, quod Corinthii, relictis priscis dignisque pastoribus, in horum locum duos juvenes, munieris ecclesiastici cupidos, sufficere conabantur, vid. Cap. XLI XLIV. XLVII. XLVIII. LIV. LVII. Mirum itaque non est, Jacobum huic pru-  
rigini, Christi ovile infestanti, monito hoc mederi voluisse, id quod BENSONIVS jam observavit p. 125. n. a.) Atque sic 3) satis jam prodidimus, quæ nobis sedeat sententia de voce διδασκαλος Ju-  
vabit tamen, alios etiam audire. Sunt A.) qui illam plane non de *publico docendi munere* accipi volunt, sed sub nomine διδασκαλων intelligunt eos, qui *jus censorium* sibi in alios sumunt, & magisterium quod-  
dam auctoritatemque adflectant in iisdem judicandis & reprehendendis; Ita CALVINVS, BEZA, PISCA-  
TOR, PARÆVS, GOMARVS, GATAKERVS,  
Intt. BELGÆ, & e nostris FLACIVS, HEMMIN-  
GIVS, BROCHMANDVS, CALOVIVS, nec alienus  
est WOLFIUS in cur. Sed vereor a) ut probari possit iste vocabuli διδασκαλος significatus, quando

## C talem

talem aliorum censorem notare creditur, qui privato ausu reprehendit non reprehendenda, aut alio, quam par est, adfectu proximum errantem castigat, aut, cum ipse vel iisdem, vel majoribus forte, peccatis ac vitiis constrictus tenetur, curiosius de aliorum erratis levioribus judicat, contra monitum Christi Matth. VII, 1 — 5. Obstat etiam b) vel maxime epitheton πολλοι, quod satis arguit sermonem esse de re, aliquibus saltem concedenda, non multis, adeoque vocem διδασκαλος in sensu per se bono & innocentia accipiendam esse, ut bene ad h. l. observat DODDRIDGIVS, p. 1236. n. a) Rectius itaque alii B.) Jacobum prohibere hic existimant, ne publicum docendi munus quilibet appetat aut adfectet, aut etiam temere suscipiat; ita LVTHERVVS, LVCAS OSIANDER, GROTIUS, DRVSIVS, JVSTINIANVS, ESTIVS, CORN. A LAPIDE, BENSONIVS, MICHAELIS, DODDRIDGIVS, BENGE-LIVS; Potissima hujus sententiæ fundamenta supra jam dedimus; nec refragamur, si quis cum B. WEIS-MANNO, in Inst. Tb. p. 8. etiam illud non omnino exclusum velit, quando & ii, qui publicum docen-

di munus ceteroquin haud adfendant, aliis tamen pro Doctoribus & fidei morumque magistris se obtrudunt, sibique h. m. magisterium in illos & auctoritatem sumunt; nam & sic voci διδασκαλος sua constat significatio consueta, nec nova eadem induitur, quod ab aliis fieri audivimus. Εἰδοτες) ut qui scitis, saltem scire potestis ac debetis, &, si nesciatis, vos nunc scire volo. ὅτι μειζον κριμα ληψομεθα) 1) pro ληψομεθα in 1. pers. Codex apud MILLIVM legit λαμβανετε in 2da, quam & Coptus habet, itemque vulgata Hieronymiana, vertens: sumitis; quæ Var. lectio sine dubio debetur præpostero studio, τω ληψομεθα adcommmodandi τω γινεσθε init. v. Per κοινοποιησαν hic & init. v. sq. loquitur Apostolus, ad mitigandam acerbitatem correptionis, q. d. & nos Apostoli, nos Doctores Ecclesiæ, scimus, majus judicium nobis extimescendum esse, si desimus officio nostro, ideoque nonnisi cum tremore illud, uti suscepimus, ita & administramus; Atque hinc simul novum sententiæ, supra adstruetæ, præsidium accedit, quoniam h. m. Jacobus ipse se annumerat διδασκαλοις illis init. v. 2) ad μειζον κριμα, pro quo alibi περισσοτερον κριμα

C 2

dici-

dicitur Matth. XXIII, 14. Luc. XX, 47. Marc. XII,  
40. optime GROTIUS hæc annotat: *plura a nobis,*  
*qui Doctores aliorum sumus, requiret Deus, quam ab*  
*aliis; quod si hoc verum in iis, qui aliorum judicio mo-*  
*rem gessere, quanto magis in iis, qui se ingerunt, invoca-*  
*ti?* conf. c. l. Matth. XXIII, 14. Hebr. XIII, 7. Offi-  
cium docendi comitatur major, uti peccati, ita &  
damnationis, occasio & periculum.

#### §. IV.

#### v. 2.

Ρολλά γαρ πταιομεν ἀπαντες· Εἰ τις ἐν λόγῳ ὃν  
πταιει, δύτος τέλειος ἀνηρ, δυνατὸς χαλιναγωγῆσαι καὶ  
ἄλον τὸ σῶμα·

πολλα γαρ πταιομεν ἀπαντες·) Veritatem hanc  
multis in locis Scriptura Sacra inculcat, vid. 1 Reg.  
VIII, 46. coll. 2 Chron. VI, 36. Hiob. IX, 2. Ps. CXXX,  
3. CXLIII, 3. Prov. XX, 9. Coh. VII, 22. Syr. VIII,  
5. (Germ. 6.) XIX, 16. 1 Cor. IV, 4. 1 Jo. I, 8, 10.  
Quod ad verba textus attinet, 1.) in verbo πταιει  
est similitudo ab iis petita, qui negligentius in via lu-  
bri-